

4

AD VIRVM
NOBILISSIMVM, AMPLISSIMVM ATQVE
EXPERIENTISSIMVM

FRIDERICVM
HOVKIVM

LIPPIA-GVESTPHALVM

NOVISSIME TECKLENVRGI PO-
RVSSIAE MEDICVM PROVINCIALEM

ET

ARTIS MEDICAE
DOCTOREM

EPISTOLA GRATVL.

M. IO. CHRISTOPH. VVENDLERI
ORDINIS PHILOSOPH. ADIVNCTI.

IEN AE,
LITTERIS WERTHERIANIS.



Tringit in *Guestphalos* quoque liuoris
fastusque sui rabiem, alter ille *Sci-
oppius*, & de constantia scriptor in-
constantissimus, *Lipsius* volebam di-
cere. Summam enim barbariem
huic genti tribuit, & humanam fere naturam abiudicat
in epistola quadam, vbi scribit: *Oldenburgi sum. Vbi
malum istud? inquies.* Oppidum est in *Guestphalia*.
*In Scytharum eremis mihi videor, nec inter homines sa-
tis certo. Omnes hic suilli, scrofae, corrii. Dabam in
barbaria apud pultiphagos III Non. Octobr.* Neque
lenius alibi, teneor, inquit, inter homines semihomines.
Quibus quidem insulis *Lipsii* salibus, & quibus nemini
forsitan magis placuit, quam sibi, *Domannum oppo-
suisse*

. fuisse apologiam pro Guestphalia, constat. Sane aut
mente caret, aut odio erga Guesthalos vatiniano ac-
census, aut ignarus plane est historiae litterariae, qui su-
um facit illud Lipsii iudicium. Forsan inuenit homo
in illa regione, qui mores fastuosos erecta quadam,
quae propria est illi nationi, integritate supprimerent,
alios omnes contemnentem contemnerent, & vt par est,
stultorum loco haberent. Est enim hominum talismo-
di indoles atque natura, vt non nisi eos, a quibus digi-
to monstrantur, aliquid sapere pronuncient : ceteros
vero omnes Melitide stupidiores censeant. Hi sunt illi
ipsi, quos adumbrat lepida *Aesopi fabella de vulpe*, quae
raptis aliquot antea rusticorum gallinis, ab illis postea
circumuenta & probe fustibus depexa, amico in eun-
dum istum pagum tendenti dixit: noli ingredi, sunt enim
rustici omnium minime ciuiles, & ultra modum agre-
stes. Quotus enim quisque in litterarum emporiis vel
paullo versatus, quem non experientia docuerit, Busa-
Eterorum quoque sub aere nasci ingenia ad eruditionis
laudem acquirendam composita? quae si politioribus
aliarum regionum moribus ornantur; doctrinisque im-
buuntur, omnino quoque tales euadunt, vt publicarum,
sacrarum, scholasticarumque rerum administratores es-
se cum fructu & laude possint. Et quis facile nescit,
istius regionis incolas superiorum seculorum barbari-
em primum expulisse, atque litterarum lucem reuocal-
le, introducta potissimum facilitori latinae linguae ad-

descendae ratione, instauratisque hunc in finem scholis,
Dauentriensi, quae seculo decimo sexto floruit, Erasmiq;
nitide poliuit ingeniu, *Steinfurtensi*, *Osnabrugensi* & *Ham-*
monensi aliisq;, ex quibus infinita ab isto tempore Musa-
rū proles in omnem terrarum orbem prodiit. De qua re,
qui plura cupit, legat orationem *Chytraei*, quam de *Guest-*
phalia habuit, iunctis *Melchioris Adami* vitis philosopho-
rum, vbi maxime euolue vitam *Alexandri Hegii*, Da-
ventriensis lycei triginta annos moderatoris, *Ioannis*
Murmelii & *Rudolphi Langii*. Neque qui historiae
studio vel labia tinxit, ignorare potest Guestphalorum
in hanc disciplinam merita: obvia enim & celebria sa-
tis sunt *Leunclauii*, *Hoeppingii*, *Hamelmanni*, *Mallin-*
kroli, *Fürstenbergii*, *VVasserbachii*, *Schatenii* aliorum-
que nomina: quos omnes aut genuit Guestphalia, aut
aluit atque fouit. Quid? quod vel sola academia Iulia
Reinerum, *Reineccium*, *Meibomiosque* ostendit, quos
Guestphalia produxit; vti talem quoque *Schurtzflei-*
schium habuit Witteberga. Denique occlamatant *Li-*
pso Belgae, qui eruditio*nis* in suo coelo sidera recen-
sent theologos atque philologos partim insignes ex
Guestphalis ortos, *Ioannem Cocceium*, *Henricum Altin-*
gium, *Constantinum L' Empereur*, *Georgium Pasorem*,
Ioannem Mayerum, *Hermannum Alexandrum Roellum*.
Ut mirum non sit, extitisse, qui de Guestphalorum eru-
ditionis laude eminentium memoria, integra, neque
contemnendae molis volumina consarcinarent, quos
inter

inter qui praefstat, *Hamelmannus*, scripto id praefstitit peculiari, quod operibus ipsius continetur. Haec omnia si Lipsius sciuit, quantum quidem suo tempore scire poterat, cur adeo friuole & temere iudicat? sin nesciuit, absterget a se fastuosus homo tantae ignorantiae contumeliam, atque cum inscitia plerumque coniunctam esse superbiam, suo exemplo testetur. Neque tamen adhuc dimittam Lipsium, sed concessso, inuenisse illum *quosdam* rudi ingenio crudisque moribus in Guestphalia: num tamen inde ad *totam* gentem satis caute collegerit, exquiram: vbi sane non potest non pudere talis iudicij, si rem proprius inspexeris. Noui equidem integra de diuersarum gentium ingeniis tum veterum tum recentiorum conscripta volumina. Sed passim experientia adeo extense de gentium diuersitate iudicantibus reclamat: cum nulla facile sit natio, barbara quoque, quam non ornauerint & a contemtu vindicauerint quidam aut eruditi, aut artifices, aut rebus aliis quibuscunque clari. Multum quidem, fateor, in hominem valet aer circumfusus, clima, & naturale solum, quo & merito referuntur vietus, communis fere interdum populi alicuius educatio, disciplina & consuetudo. Sed multum contra hic quoquears valet. Sunt enim omnium omnino hominum animi instar tabulae rasae, aut mollis cerae, quae nihil adhuc habet impressum, sed parata quid imprimatur expectat, & connata cupiditate quicquid offertur, arripit: ita, ut pro ratione do-

Etrinae mēns hominis ita flecti possit, vt superatis, quae
aeris vitaeque ratio in corpore interposuit, impedimen-
tis, ipsam naturam superet, seque mirifice extollat.
Vnde non immerito dixeris, nullam gentem ob aeris
vitaeque ratione in barbaram esse appellandam, sed ob
defectum cūm aliis politioribus commercii, mentes-
que probe flectendi artis, Id quod vel ipsi maiores
nostrī, veteres Germani, vt Tacitus docet, & inter ipsos
philosophos non pauci, exemplo suo comprobant.
Natura omnes homines gignit barbaros, sed ita, vt arti
relinquat: qua aut deficiente, natura sedem confirmat;
aut superuenienti cedit, & tanquam *aptos paratosque*
ad expoliendum tradit atque commendat. Neque
villus facile homo inuenitur, quem adeo stupidum na-
tura finxerit, vt nullam plane ab arte limaturam admit-
tat. Ex quo multum etiam refert, a quibus parentibus
ortus, in quam educationem & consuetudinem incidas.
Haec enim aut naturae infirmitatem conseruat; aut ad
emanationem insigniter praeparat. In quibus omni-
bus rite philosophari non concessit Lipsio intrunita su-
perbia, & alios ipsius non admiratores traducendi libi-
do. Sed quorū haec? inquis. Ut ad exemplum
tuum, *praestantissime Houki*, facilis pateat transgressus,
quod est luculentissimum ad obthurandum os quo-
rumcunque, qui, quid de hac re rite statuendum sit,
aut plane ignorant; aut malitiose scire nolunt. Ma-
gnum equidem est commodum tuum, quod a paren-
tibus,

tibus, eruditionis, probitatis & liberalitatis laude con-
spicuis natales duxisti, & ab his hereditate quasi natus
es insignem probe imbuendi animum cupiditatem:
neque tamen minus, quod noui, tribuis illis, quorum in
dexteritatem formandi ingenia te fortunae benignitas
manuduxit: quae tanquam Hammula fomitem probae
indolis ita accedit, ut eruditione pariter ac morum ci-
vilitate, omnibus, qui te norunt, videaris aliquando ad
illorum famam non procul accessurus, quos supra tan-
quam gentis tuae ornamenta recensui, & dignus, cuius
exemplar ciues tui sibi imitandum proponant. Cum
enim salutaris ars tibi maxime arridet, tantum abest,
ut plerorumque exemplo hodie fere communi institu-
ris, qui principia istius disciplinae per septem partes,
ut canis e Nilo percurrunt, & labiis vix tintatis in patri-
am, ne longa nimis absentia sui obliuionem inducat, fe-
stinant: in exercitio deinde artis suae ita versantur, ut
contra morbos remedia ex *Zuvelferi theatro praxeos*
medicae, aut *Helvovichii compendio artis medicae*, aliisue
talismodi asylis, nulla habita distinctione exscribant,
omnibus eadem propincent, & qualis futurus sit morbi
eventus, ancipites & incerti exspectent. Horum em-
piricorum ignorantiam longe excelsiore munitus inge-
nio despicias. Id enim improbo labore operam dedi-
sti, ut hominis, rerumque ad medicinam spectantium
naturam quam plenissime perspectam haberet. Ne-
que tamen hoc contentus eras, in quo alii lubentissi-
me

me subsisterent, sibique, si tantum comparassent medicae cognitionis, mirum in modum placerent. Ad didisti, aut praemisisti potius philosophiae tum funda-
menta, tum solidiora paecepta. Iunxisti, quod hodie faciunt paucissimi, litteras, quas humaniores vocamus,
secutus hac in re rara superioris nostraeque aetatis exem-
pla *Conringii*, *Reinesii*, *VVedelii*, *Tollii*, *VVormii*, *Rud-
beckii*, *Iunii*, *Smetii*, *Becani*, *Brunii*, *Connori*, *Dikinsonii*,
Bartholini, *Patinorum*: neque minus facultatis latinae
linguae acquirendae mirifice studiosus fuisti. Quae-
ita se habere, *dissertatio*, quam *de hyperico conscripsisti*,
satis luculenter demonstrat. Quod ego insigne variae
locupletissimaeque eruditionis tuae specimien, & mu-
nus nuper dignissimo creditum ex animo tibi gratulor,
optoque, ut dignam mente tua moribusque tuis sem-
per fortunam experiaris: quae ne mei obliuionem
pariat, sed memoriam potius atque benevolentiam sta-
biliat atque confirmet, est, quod etiam atque etiam te
monitum rogatumque velim. Vale. Dab.

Ienae e museo d. XXVIII. Ianuar.

cl^o locc xvi.

